Quelle: http://manuscripta.at/?ID=922
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

eum ut vocaret filium suum. Vocavit illa infantem, et ille accurrit, utrumque brachio amplexatus matrem suam sanus factus est ex ea hora.

Erant autem cum huius beati viri fratres et filii spirituales mirantes super his que audiebant et videbant de eo. Hec tamen more carnalium in gloriam elevabant humanam. Sed iuvenili eius etati et nove adhuc conversationi spirituali sollicitudine metuebant. In quo nimirum zelo Galdericus avunculus eius et Guido primogenitus frater ceteros anteibant, ut ipsos tamquam geminos quosdam stimulos carnis sue, ne gratiarum magnitudo eum extolleret accepisse divinitus videretur. Neque enim parcebant verbis durioribus exagitantes teneram verecundiam eius, calumpniantes et bene gesta, signa omnia adnichilantes. Et hominem mansuetissimum nichil quoque contradicentem frequenter usque ad lacrimas inproperiis et obprobriis affligentes. Narrare solet venerabilis episcopus Lyngonensis Godefridus sancti viri et propinquus sanguine et conversatione socius, et exinde per omnia individuus comes, primo miraculo quod per manum eius fieri vidit predictum germanum eius affuisse Guidonem. Erat enim cum eis transitus per castrum Nantonis in territorio Senonum, et iuvenis quidam cui pro pede fistula occupaverat predicti patris tactum et benedictionem cum multa supplicatione petebat. Signatus autem statim convaluit, et post paucissimos dies regressi per idem oppidum sanum eum atque incolumem invenerunt. Ceterum sepe dictus beati viri frater ne ipso quidem potuit compesci miraculo quominus increparet eum et presumptionis argueret quod acquievit tangere hominem. Tanta siquidem caritate pro eo sollicitus erat.

Circa idem tempus accidit ut avunculus eius Galdericus qui et ipse zelo simili eius mansuetudinem sic predictis duris increpationibus obruebat gravissimis febribus laboraret. Demum ingravescen-